# BIBLIA SACROSANCTA VETERIS AC NOVI TESTAMENTI

Adiectis ex eruditis ſcriptoribus ſcholijs, ita, vbi opus eſt, locupletibus, vt pro commentarijs ſint: multis certè locorum millibus præſertim diffi-cilioribus, lucem afferunt.

*Auctore Iſidoro Clario Brixiano ex Monacho Caſinate Epiſcopo Fulginatenſi ex ſecunda eius recognitione.*

Deputatorum Concilij Tridentini ſeruata cenſura.

Via vita Porta cœli

VENETIIS, APVD IVNCTAS
M D LXIIII.

por commission delos señores inquisidores de sevilla, expurgose esta biblia conforme al expurgatorio nuevo q̃ salio en tiempo del cardenal quiroga

Horum Bibliorum textum nemo textum Vulgatæ editionis esse existimet

# LIBER GENESIS
# Hebraice Beresith.

## CAPVT I.

A IN PRINCIPIO ᵇ CREAVIT DEVS
cœlum & terram. Terra autem erat ᶜ inanis & vacua, & tenebræ erant super fa
ciem ᵈ abyssi: & ᵉ spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitq; Deus, Fiat lux. Hebr. 11.a
Et facta est lux. Et vidit Deus lucem q̃ esset bona: & diuisit lucem à tenebris, ᶠ
appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem: Factumq; est vespere & mane
DIES VNVS. Dixit quoq; Deus. Fiat ᵍ firmamentum in medio aquarum: Psal. 135.a
& diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas, quæ Hier. 10.b
erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est Psal. 135.b
ita. Vocauitque Deus firmamentum, cœlum. Et factum est vespere & mane & 88.b.a.
B DIES SECVNDVS. Dixit verò Deus. Congregentur aquæ, quæ sub cœlo
sunt, in locū vnū: & appareat arida. Et factū est ita. Et vocauit Deus ʰ aridā, ter
ram: cōgregationesq; aquarū appellauit maria. Et vidit Deus q̃ esset bonum, & ait. Germinet terra herbā vi-
rentem & facientē semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suū, cuius semen in semetipso
sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum,
lignumq; faciens fructum, & habens vnumquodq; semen secundum speciem suam. Et vidit Deus q̃ esset bo
num, Et factum est vespere & mane DIES TERTIVS. Dixit autē Deus. Fiant luminaria in firmamento
cœli, & diuidāt diem ac noctem: & sint ⁱ in signa & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamento cœli,
& illuminent terram. Et factū est ita. Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, &
C luminare minus, vt præesset nocti: & stellas, Et posuit eas Deus in firmamento cœli, vt lucerent super terram,
& præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus q̃ esset bonum. Et factum est vespe
re & mane DIES QVARTVS. Dixit etiam Deus. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile su-
per terram ᵏ sub firmamento cœli. Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atq; motabi-
lem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suū. Et vidit Deus q̃ esset bo-
num, benedixitq; eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: auesq; multiplicentur super
terram. Et factum est vespere & mane DIES QVINTVS: Dixit quoque Deus. Producat terra animam vi
uentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit
Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset Matt. 19.a
D bonum, & ait. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & vo- Marc. 10.a
latilibus cœli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. ˡ Et creauit Deus homi- Sapi. 2.d
nem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Benedixitq; il- & 10.a
lis Deus & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, Eccle. 17.a
& volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quę mouentur super terram. Dixitq; Deus, ᵐ Ecce dedi vobis Infr. 8.c
omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna † fructifera, quæ habent in semetipsis se- Eccl. 15.c
men, vt sint vobis in escam, & cunctis bestijs terræ, omniq; volucri cœli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, Marc. 7.d
& in quibus est anima viuens, † omnē virorem herbę vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. Vidit Deus
cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum est vespere & mane DIES SEXTVS.

### ISIDORI CLARII, SCHOLIA.

ᵃ IN principio.] *Sunt quibus videatur, ex illis Mosis verbis, In principio creauit Deus cœlum & terram, non colligi manifeste, mundū non ab æterno factum, verum, vt cætera prætermittamus, vnum illud satis mihi videtur esse posse ad tollendā illam æternitatis opinionem, quod de primi hominis creatione sit mentio, cui assignantur certi vitæ anni, cæteriq́ue, qui deinceps gignuntur, vt colligatur, ab Adam ad diluuium tot annorum numerum intercessisse, & a diluuio ad Mosen &c. Porro hominem cum ipsis nascentis mundi exordijs factum fuisse quis dubitet, cum eius vnius causa hæc mūdi fabrica facta videatur? At ociosum, inquiet, Deum in tāta æternitate manere qui oportuit? quibus illud Pauli apte possumus respondere. Atqui o homo, tu quis es, qui ex aduerso respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? Quis enim humanum audeat diiudicare, vtrum magis diuinæ maiestati atque omnipotentiæ fuerit consentaneum, ab æterno, an post secula infinita mundum construxisse? præsertim cum, quæ de mundi vel æternitate vel tempore dicuntur, eadem de ipsius magnitudine dici possint, cur scilicet longe maior & magis digna illa diuina infinitate spatium ei non sit datum, atque adeò cur nō partim mundo constructi sint plures? Nam ne punctum quidem exiguum est hæc, qua videtur mundi vastitas, si cum authore suo conferatur. Sed meminisse nos oportet sæpe in ipsis nostris ratiocinationibus, quid Deus ipse dicat. Non enim cogitationes meæ, inquit, cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ. Quoniā quantum distant cœli a terra, tantū distant cogitationes meæ a cogitationibus vestris, & viæ meæ a vijs vestris. Præterea, qui imaginantur, ab æterno Deo esse mundum, vt qui ab eo quodam profluxerit, sed ita illi coniunctione consequatur, vt lumen a corpore, aut fulgor Lampadem, non deerunt ne ij quidem, qua ea*

